

quod magnopere cupiebat, antequam totis agminibus in patentes campos ventum foret, cum primis Anglorum copijs prælio decertaret. Verum ea spe ipse deiectus, quòd antequam eò peruenire potuisset, Bedfordiensis iam per angustias suas copias traduxisset: & quia diei pars exigua supererat, iamque in occasum sol præceps ierat, de ducum sententia prælium non commisit: parua tantum vtrunque ab equitibus prælia facta sunt. Ea nocte rex cum copijs in monte Pipiliolo constitit: hostes verò in ripa fluminis à millibus passuum minus duobus castra posuerunt: & tota nocte vallo atque aggere summa diligentia sese muniunt. Mox sensim in auroram abeuntibus tenebris, ad cohortandos suos rex cõtendit, quos magnis pollicitationibus erectos, ad confiendum modico certamine bellum, & ad partem iam victoriæ præmia capienda certæ spei & alacritatis plenus accendebat: commemorans superiorum temporum iniurias & clades, quas Angli beneficio Fortunæ potiùs, atque iniquissimis temporum & locorum conditionibus, quàm vera virtute Francis intulissent. Proinde in animum inducerent eam esse propriam atque expeditam rei gerendæ occasionem, qua cõsanguineorù & commilitonum suorum cædes vlciscerètur. Milites crebrò dicentem interpellant: vniuersi cohortantur magno sit animo, neu dubitet prælium committere, & suam fidem virtutemq; experiri. Carolus impetu animorum vtendum ratus, aciem instruxit. Primæ aciei Alenconius &